

.lviii. DE ANGELIS ATQUE ARCHANGELIS .

Qui superna celorum regna
spiritibus angelicis ad gloriam et laudem atque
honorem sui nominis ac maiestatis in perpetuum
miro ordine collocavit . deus est . De quibus plura
loqui pertimescimus . quia soli deo scire est ; quomodo
uel quemadmodum eorum nobis inuisibilis absque con-
tagione . seu damnatione in sua sola puritate
consistat natura . [T] Sed tamen nouem esse . angelorum
ordines ad dei iudicia ac ministeria complenda .
testante sacro eloquio cognouimus . quorum princi-
/130v/ patus atque potestates subtiliter ac mirabiliter dei omnipotentis
nutu distinguntur . Alii ex illis ad nos in mundum
missi futura praedicando perueniunt ; Alii ad hęc sunt
constituti ; ut per eos signa et miracula frequentius fiant ;
Alii subiectis angelorum spiritibus praesunt . eisque ad explen-
da diuina misteria disponenda principantur . Alii
mira potentia ceteris praeminent . pro eo quod eis ad o-
-boediendum alia angelorum agmina subiecta sunt .
Alii tanta diuinitatis gratia repletur . ut in eis dominus
sedeat . et per eos sua iudicia discernat . Alii tanto perfec-
tiori scientia pleni sunt . quanto claritatem dei uici-
nius contemplantur . Alia uero ita deo coniuncta
sunt angelorum agmina . ut inter hęc et deum nulli alii
intersint . Tanto magis ardent amore quanto sub-
tilius claritatem diuinitatis eius aspiciunt . Talibus
ut diximus a primordio incipientis uitae beatorum
spirituum distinctionibus ; superna caelorum regna a deo
conditore in perpetuum mirabiliter collocata sub

sistunt . His omnibus fratres karissimi tam decoris ac deo dilec-
tis angelorum agminibus . huius diei solemnitatem cre-
dimus esse consecratam . [T] Sed ecce dum caelestium ciuium
secreta rimamur . supra modum nostrę fragilitatis di-
gressi sumus . Taceamus interim de secretis caelesti
bus . sed ante conditoris oculos tergamus peccatorum
maculas . ut ad eos de quibus loquimur peruenire ualea-
mus . Prestante domino nostro iesu christo . qui cum patre
et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula seculorum . Amen .